



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Monvmenta Paderbornensia

Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>

Paderbornae, 1669

3. Ambrones Habitasse Fervnt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11425

3. AMBRONES HABITASSE FERUNT. Alij alijs terrarum oris *Ambrones* collocent. Nos cum Reinero Reineccio in commentario de origine Mysorum, & cum Ioanne Pideritio in Chron. Lippiensi part. 1. cap. 6. ad *Ambram* nostratam illorum sedem ponimus, & ab *Ambram* denominatos censemus.

4. QVOS CIMBRICVS OLIM. Florus lib. 3. cap. 3. & quotquot *Cimbrici* belli meminerunt, *Cimbrorum* in Italiam irruentium socios faciunt Teutonos, qui *Ambronibus Ambræ* accolis vicini, siquidem in Diœcesi Paderbornensi & Lippiensi Comitatu *Teutoburgium*, & *Teutoburgiensem saltum* tenuerunt, & nomine suo donarunt, facile in societatem hujus belli *Ambronas* pertraxerint, junctis copijs Italiam invasuri. Hi igitur *Ambrones*, *Cimbris* per Noricum Italiam aggredientibus, in Gallias deflexerunt, unà cum Teutonis socijs suis alia via irrupturi. Sed, teste Plutarcho in Mario, ad Druentiam flumen, haud procul Aquis Sextijs, quas Teutoni tenebant, à Mario sunt deleti, cum ipsi soli Capionem, ac deinde Manlium Coss. unà cum exercitu Romano ante profligassent.

5. ILLIS ARMINII SVCCEDENS ARCE PROPINQVA. *Vix invenies*, ait Seneca de Consol. ad Helviam, *ullam terram, quam etiam nunc indigenæ colant; permixta omnia & inscitia sunt. Alius alij successit. Hic concupivit, quod alij fastidio fuit; unde ille expulerat, ejectus est.* Sic in *Ambrorum* ad *Ambram* sedes Cherusci immigrarunt, quos etiam cis Visurgim habitasse, supra in notis ad cladem Varianam §. 15. ex Dione lib. 54. ostensum est, & ex ejusdem hist. l. 55. patet. *Drusum Chattorum fines ingressum, ad Sueviam usque processisse. Inde in Cheruscorum agros conversum Visurgim-*